


18
57





DISPUTATIO JURIDICA
DE
RECONVEN-
TIONE.

Quam

Auxiliante supremo Numine
Decreto & autoritate Magnifici & Am-
plissimi Jctorum Ordinis in hac Legum nutrice

Salana

SUB PRÆSIDIO ET DIRECTORIO
Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi
Excellentissimi

Dn. ZACHARIAE Prueschencf/

Jcti, Antecessoris & Professoris hujus
Academiae Publici, Consilarii Saxonici, Curiae
Provincialis & Scabinatus Assessoris gravissi-
mi; Praeceptoris ac Promotoris sui
devenerandi

Pro Licentia in utroq; Jure, consequendisq;

PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS,

Placidae disquisitioni submittit

RUDOLPHUS SCHRÖTERUS,

Meiningâ Henneberg.

Ad diem 18 Octobr.

JENAE,

Typis descripsit BLASIVS LOBENSTEIN.

MDCXXVII,

Pr. 73. num. 14.

1637, 2

M

Pr. 73.



DISPUTATIO JURIDICA
DE
RECONVENTIONE

ANNO DOMINI MDCCLXXIII
DIE XXV OCTOBRIIS
IN ACADEMIA PUBLICA
SACRAE THEOLOGICAE
ET JURIDICAE
UNIVERSITATIS
HALLENSIS
PUB. THEOLOG. ET JUR. FAC.
RUDOLPHUS SCHROTERUS
ALMA MATER

LEIPZIG
TYPIS JOHANNIS LOEBNERII
MDCCCLXXIII





S. N. D. B.

DE RECONVENTIONE.

AD SERTIO I.

Reconventio est rei conventi contra actorem durante adhuc conventionis iudicio sub eodem Iudice vicissim instituta actio. Theoph. Giseb. de Reconu. c. 4. n. 3. paulò aliter Vultej. Jurispr. Roman. lib. 2. c. 30. Eodem ferè modo Rosbach. process. civil. tit. 46. Et hoc reconventionis jus etiam Juri veteri non erat incognitum, cum Imp. Justinianus illud à se auctum profiteatur in l. 14. cum seq. auth. C. de sent. & interloc. omn. Judic. Atq; in eo solùm differre novum Jus à veteri, quòd illo etiam apud Judicem non communem, & ita actori incompetentem ex diversâ etiam causa reconventio possit institui, tradit Sichardus in dict. l. 14. n. 10. Bashov. part. 1. in Treutl. disp. 25. thes. 13.

II.

Dicta à reconveniendò: Nam sicut actor dicitur convenire reum; ita reus reconvenire actorem, actionem vicissim contra eum intentando. Illic. Umm. ad process. Judic. disput. 10. thes. 1. qs. secunda conventio seu Actio, (conventio namq; sæpissimè denotat actionem, ut in l. 45. ff. de R. Vind. l. 7. §. 1. & 5. C. de prescript. 30. annorù. l. ult. vers. sancimus. C. de annal. Except. Umm.

A

d. l.

d. l.) quæ fit à parte rei, sicut cōventio ex parte actoris, describente eam *Parnomic. in rubr. c. 1. n. 1. de mut. petit.* Unde benè Statutum de conventionione disponens sive actione, etiam de reconventionione intelligi potest. *Molign. c. 4. Giseb. c. 4. n. 16. 17.* Et rescriptum Principis cum Clausula, *Remota Appellatione*, ad causam quoq; reconventionis extenditur, adeò ut in ea succumbens actor similiter appellare non possit. *c. 2. X. de mut. petit. Giseb. c. 23* quod singulariter in hoc processu observandum monet *Mindan. lib. 3. de process. extrah. c. 7. n. 19.* Alio nomine dicitur *mutua petitio. t. tit. Decret. de mut. petit. Giseb. c. 2. in pr. Molign. quest. 1.* Sed an mutua petitio latius pateat, & non tantum reconventionē Rei, sed etiam conventionē actoris denoter, vide apud *Hillig. in Donell. lib. 17. c. 18. lit. E. affirmantem Fabrum lib. 20. conject. 5. Ilic. Umm. disp. 10. t. b. 1. n. 2.*

III.

Compensationes, cum efficiant saltem, ut minus quisq; consequatur, quam ei debetur. *§. pen. f. de act.* jus verò actionum instar non persequantur. *§. 1. Inst. de act.* adeoq; diversa sit earundem natura, ad speciem reconventionis referri non possunt. *Marant. in spec. aur. part. 4. distinct. 6. n. 4. Molign. quest. 6. Giseb. c. 5. Ummius dict. loc. thes. 1. n. 4.* Ac licet hodiè per compensationem actoris petitio ipso Jure minuat. *§. in bonaf. 30. Inst. de act.* attamen & reconventioni locus est. *Gis. c. 6.* Cum sit in arbitrio nostro, utrum compensare, an petere velimus. *l. 1. §. 4. de contrar. tutela & utili act.* Utrum autem tutius & melius sit remedium? quæritur? *Gisebertus* pro reconventionione concludit *d. loc.* Cum *Ummio* tamen Advocatis pluri-

plurimum hac in parte tribuendum esse, statuendum arbitror; siquidem certum est, Compensationem oppositam minores quandoque requirere sumtus, & econtra etiam verissimum, contingere posse, quod interdum magis expediat reconvenire, quam compensationis opponere Exceptionem. Imò necessariò ad reconventionem interdum confugiendum, utpote si debitum est illiquidum &c. Cauti proinde erit advocati, optimum & quod sibi magis proficuum fore putabit, eligere remedium.

IV.

Quatuor autem species reconventionis constituit *Baldus in autb. & Consequenter. C. de Sent. & Interl. n. 21.* Generalis ac communis omnium actionum affectio, inquit *Gisebertus*, est reconventio, & sic vel esset actionis in rem, vel in personam, Civilis vel Criminalis. A forma tamen etiam dispesci potest, ut alia ab initio statim ante litem contestatam, vel statim post, ante progressum ad ulteriora interponatur ac instituat, & simul ac eodem processu cum causa conventionis tractetur, & propria vel Vera dicitur *Molign. quest. 81. Emeric. Rosbach. proces. civil. tit. 46. Mindan. lib. 3. proces. extrab. c. 7. n. 12. 13.* Alia impropria, quæ tam & ante quam post litem contestatam proponatur, finito autem demum conventionis Iudicio discutatur & sine vicissitudine pertractetur. Sanè si rem exactius perpendere velimus, nullas esse reconventionis veras & genuinas species, statuendum est.

V.

Generale hoc est omnium reconventionum

A 2

ut

ut Actor alienæ Jurisdictioni subjiciatur, reusq; cogatur coram eo Judice, quem agendo probavit, nullâ obstante fori præscriptione respondere. *l. cum. Pappin. 14. C. de sent. & interl. l. qui non cogitur. ff. de Judic. Gifeb. c. 20. & c. ult. & pen. Mollign. quest. 96. ut infra etiã dicetur.* Inutilis namq; hîc est Exceptio incompetentiæ. *per dict. text. & l. 14. ff. de Jurisd. l. ille à quo. §. sempiternum. ff. ad SC. Trebell. Gif. c. 8. à n. 5. usq; ad 8. Mollign. quest. 9. Novell. 96. §. illud quoq;.* Jure verò Saxonico hodierno, præsertim ex Constit. Electoralibus Augusti & ex nova Ordinatione Judiciaria Electoris Serenissimi Johannis Georgii *vic. 6.* explosâ illorum, qui negabant hoc Jure procedere reconventionem, sententiã, omnis Reconventio, si ejus causa à cõventionem dependet, una ex alia trahit originem, & inter se sunt connexæ, sic procedit, non ut statim in primordio litis proponatur, & una cum alia decidatur, sed demum post finitam & discussam conventionem instituat ac pertractetur. Si v. causa conventionis à reconventionis causa planè est diversa ac separata, pro conventionem & reconventionem habendæ non sunt, sed unaquæq; coram Judice competente institui debet. *Novell. Constit. Elect. 7. p. 1. Matth. Berlich. Concl. practis. 22. part. 1. n. 8.*

VI.

Omni verò reconventionem Reus solummodo instituit, ita ut reconventio reconventi, quando videlicet actor reũ qs. triplicando iterum reconvenire velit, non admittatur, secundum communem Legistarũ & Canonistarũ opinionem, ut videre licet apud *Berlich. part. 1. d. conclus. 22. n. 26. per rationem c. 2.*

de

de rescript. in 6. Nisi forsitan secunda reconventio sit actionis mutuae vel continentis, quae semper coram eodem Iudice proponenda est. *l. 11. de Jurisd. l. 10. C. de Judic.* vel in ipsam incidat reconventionem, vel saltem afferat ei praedictum; quo casu & hanc quoque admittit *Mindan. de contin. Caus. c. 6. n. 17.* ubi aliquot exempla recenset, *Add. Umm. d. l. t. bes. 2. n. 6. Giseb. c. 7.*

VII.

Et cum reconventio sit actio, omnes utique reconvenire possunt, quibus agere non est prohibitum. Prohibentur autem omnes, qui inhabiles & incapaces sunt Iudicii, ut Foemina. *l. 2. ff. de R. 3.* Pupilli, minores & alii, qui sine consensu superiorum in Iudicio stare nequeunt. Per alios tamen, tutores nempe Curatores & Procuratores qui possint reconvenire reconveniri quoque, non ambigitur, si modò causa reconventionis ipsos concernat. *Berlich. part. 1. conclus. 22. n. 12.* Deinde ut reconventio institui possit, necesse est, ut actor sua voluntate & ultrò non coactus agat. Qui enim non sua sponte, sed invitus agere compellitur, non reconveniri potest. *Giseb. c. 2. n. 21. & 22. illic. Umm. d. loc. n. 7. Berlich. part. 1. conclus. 22. n. 23.* Is verò demum invitus agere dicendus est, qui cum velit maximè, non possit tamen Iudicii exercitium declinare. *Dd. in l. un. C. ut nem. invit ager cog.*

VIII.

Et talis ferè regula constituenda est, ut omnis, qui aliàs non cogitur in aliquo loco Iudicium pati, si ultrò ibi agat, & alium conveniat, teneatur vicissim, reo coram eodem Iudice, non obstante fori praescriptione in reconventionem stare, respondere & ibi Iudici-

dicium suscipere. *Berlich. d. loc. n. 10. l. 2. §. 5. l. qui non cogitur. 22. ff. de Judic. d. l. cū Papin. 14. C. de sent. & interl. Mindan. lib. 3. de proces. extrab. c. 6. n. 9.* addo etiam, ut licet statutum pauperibus certum Judicem dederit, hi etiam apud alium rectè reconveniantur, si coram illo egerint. *Ummius thes. 2. n. 8.* Legati quoq; qui aliàs jus domum revocandi habent. *l. 2. §. 4. & 5. de Judic.* nequaquam eximuntur, sed si agunt judicio quodam Legationis tempore, adversus omnes se defendere compelluntur. *d. l. 2.* nec suo privilegio uti possunt.

IX.

Et cū tanta, quā alias gaudent, Legatorum immunitas Jus reconventionis impedire nequeat, & quod magis est, ipse Imperator, si se submittat & quēdam conveniat, non eximatur. *Molign. quest. 26. Berlich. d. loc. n. 11.* mirum certè non est, si posthabito largissimo *Autb. Habita* beneficio *C. ne fil. pro patre.* Studiosos quoq; coram municipali magistratu reconveniri à civibus, & sic ad alium magistratum trahi posse statuatur. Privilegiatum enim forum hic non attenditur. *Umm. d. loc. thes. 2. n. 8.* Imò reconventio tollit privilegiū personæ, & inducit æqualitatem inter actorem & reum. *Panorm. in c. 2. de mut. petit. n. 2. Monach. in pract. Judic. part. 5. §. 8. c. 6. n. 5. Mindan. lib. 3. de proces. extrab. c. 6. n. 9.* Quam sententiam ceu veriore pluribus rationibus defendunt *Giseb. c. 12. Besold. de privil. & Immunit. studios. Licent. & Doct. c. 3.* Nisi forsan dolo effecerit Civis, ut conveniretur à studioso, quò ipsum reconveniēdo ludibrio exponere posset, ut limitat *Job. Warmf. in Exerc. Academ. 1. quest.*

1. *quest. 14.* Studiosum etiam posse reconvenire Cī-
vem agentem coram Rectore & Magistratu Acade-
mico, defendit *Gif. d. loc. Hunn. in tract. in auth. habita.*
Berlich. d. loc. n. 42. Arnold. de Reiger. in process. Judic. disp.
3. tbes. 30. Mindan. lib. 3. de proces. extrab. c. 6. n. 13.

X.

Ratione privilegii etiam Clericos à reconven-
tione, quando coram seculari magistratu agunt, exi-
mit *Panorm. in C. & si Clerici. n. 21. de Iudic.* & ferè o-
mnes hīc concordant Canonistæ, qui Clericos, tan-
quam sanctiores & Laicis majores omni Jure, tam di-
vino quàm humano, tam legibus Imperialibus, quàm
sacrorum Canonum sanctionibus à Laicorum Juris-
dictione separant, *c. deniq. dist. 96. & c. Impator. ead. dist.*
c. qualiter & c. 1. & 2. de Iudic. c. fr. diligent. de for. Comp.
adeò ut actor laicus trahens Clericum ad seculare Ju-
dicium causã cadat, *auth. statuimus. & auth. causa. C.*
de Episc. & Cleric. Sed meritò hoc ad eas, quæ me-
rè & purè sunt Spirituales, causas, quòd sc. in his Cle-
ricus judicari à Judice Laico non possit, restringen-
dum est; cum hōc casu non ipse Clericus ex sua per-
sona, sed causæ natura hunc dedignetur Judicem,
Vasqui. lib. 1. controu. 5. n. 58. & ne incidenter quidem
spiritualia ejusmodi à seculari judice tractari queant.
c. lator. c. causam. X. Qui filii sint legit. Geil. 1. obs. 30. Myn-
sing. cent. 2. obs. 67. & obs. 100. cent. 1. ubi tamen plures
casus recenset, in quibus Judex Laicus suam Jurisdi-
ctionem adversus Clericum exercere potest. Quoad
alias verò causas, de quibus Judex secularis cognosce-
re potest, non procedit illa Canonistarum opinio.
Mov. 123. c. 21. 24. 25. Marant. part. 4. dist. 6. n. 53. Gif.

c. 1.

c. 11. ubi aliquot addit limitationes, Berlich. d. loc. n. 10. Paul. Christinaus volum. 5. Decis. 122. n. 33. 34. 35. Myns. cent. 4. obs. 95.

XI.

Bannitum Imperii agere non posse, indubitati est Juris, & Judicio experiri volentem non audientem, dicit *Geil. lib. 2. de pac. publ. c. 12. c. cum inter. in fin. ubi Dd. de Except. Myns. obs. 52. cent. 3.* Non ergo poterit reconvenire & ita actoris vicem sustinere, ne pater quidem nomine filii banniti. *Geil. d. loc. in fine.*

XII.

Proscriptos verò ab inferiore Principe vel etiam Civitate, qui solum amittunt Jura municipalia ejus territorii, à quo sunt proscripti, non v. ea, quæ Juris Communis sunt. *Schneid. in §. cum a. n. 12. 13. & seq. 7. quib. mod. jus patria potest. solv. alio loco posse reconvenire, dubium non est Giseb. c. 7.* Quid v. de Excommunicatione, quam Bannum vel gladium Ecclesiæ vocat, statuendum? Excōmunicatum ut agere, ita & reconvenire non posse, conventum tamen se rectè defendere, ostendunt *c. dilectæ. c. cum inter. in fin. x. Except. c. pia. de Except. in ó. c. intellex. de Judic.* Unde citari potest & in Judicio conveniri. *Geil. lib. 2. de pac. publ. c. 12. n. 22. Hillig. in Donell. Enucl. lib. 17. c. 5. lit. D.*

XIII.

Status Imperii, de quorum requisitis *Theod. Keinsingf. lib. 1. clas. 4. c. 1. Daniel Otto c. 17.* regulariter forum sortiuntur competens in Camera Imperiali, exceptis quibusdam & plerisque immediatis, qui privilegium habent primæ instantiæ seu Jus Austregarum. *part. 2. Ordin. Cameræ tit. 2. 3. 4. 5. usq. ad 8.* Quod
ideò

ideo introductum, ne essent deterioris conditionis,
quàm mediatè imperio subjecti, quibus plures con-
ceduntur instantiæ. *Dan. Otto de Jur. publ. c. 17. pag.*
545. Idq; sive se invicem, sive ab aliis convenian-
tur. *d. t. 3. Ord. Cam. Matth. Stephani tract. de Jurisd. c. 3.*
m. 3. n. 10. & seq. Atq; sic suos peculiare habent Judi-
ces, à quibus demum ad Cameram provocatur.

XIV.

Hi igitur status Imperii, qui hoc fori privilegio
gaudent, num possint reconveniri coram alio Judice
præsertim inferiore, si aliū mediatè Imperio subjectū
conveniant coram suo Judice, quæstionis est. Et quia
Juris Cōmunis observatiā tenendum esse docet *tit.*
ult. part. 3. Ordin. Cameral. quando nihil certi deter-
minatum, & quia *l. est receptum. 14 ff. de Jurisd. & l. ille à*
quo. 13. §. tempestivū. ff. ad Sc. Trebell. satis clara, & aper-
ta sunt, affirmandum id videtur cum *Treutl. part. 1.*
disp. 25. tbes. pen. Contra v. quando mediatè impe-
rio subjecti immediatè addictos conveniunt, an me-
diatè hi subjecti ab immediatis reconveniri possint?
Itidem affirmandum existimo, cum similiter nuspiā
hoc prohibitum inveniatur. Excipitur insuper in *Ord.*
Cam. unicus tantum casus, quo reconventio dene-
ganda. *part. 2. tit. 4. §. dieselben. & §. so dann die Paro*
theyen. Rosbach. proces. civil. tit. 46. n. 13. In cæteris igitur
procedere reconventionem, satis indicat exce-
ptio hæc, quæ regulam in casibus non exceptis con-
firmat *l. quæsitum § 43 ff. de Instruct. vel Instrum. legat.*
l. 1. §. stipulationum ff. de prator. stipul. id quod etiam sen-
tit Petr. Denaisius in Jure Camer. sub tit. Iudices principū.
Giseb. c. 8 9 10. Admittenda tamen videtur *lob. Monach.*
distinctio in pract. Jud. par 5. § 8. c. 3. n. 6.

B

XV. Por-

XV.
Porro in omnibus causis de Jure Communi fieri potest reconventio. *Marant. in spec. aureo d. loc. nisi expressè prohibita reperiatur. arg. l. nec non. 28. §. quod ejus. 2 ff. ex quibus causis maj. Mindan. lib. 3. de proces. extrab. c. 7. in pr. Berlich part. 1. Conclus. 22. n. 26. & Gisebertus dicit: De quibus causis actiones in Jure Civili proditæ, de iisdem ut convenire, ita & reconvenire invicem permittitur c. 13. n. 1. Sive causa sit profana, sive Ecclesiastica & Spiritualis. *Monach. in dict. pract. judic. part. 5. §. 8. c. 4. n. 2. etiam super diversis rebus. Donell. lib. 17. c. 19. ibiq. Hillig. in not. lit. M. Gis. d. loc. Licet diversam, vel similem causam ab ea, quæ in conventionem deducta est, contineat. *Treutl. vol. 1. disp. 25. thes. ult. lit. D. nec etiam refert causæ sint liquidæ, nec ne. Berlich. d. loc. n. 31. De Jure Saxonico tantum in causis connexis & à se invicem dependentibus locum habet, ut infra dicetur.***

XVI.

Et quidem sive in rem actio instituatur, sive in personam agatur, sive Judicis solum impleretur officium, locum sibi vendicat reconventio. Quoad personales actiones minus dubium est, inspectâ *d. l. 14. ibi: & aliquid eum daturum vel facturum. Quæ verba notam esse actionum personalium, ex §. 1. I. de act. verissimum apparet. Quoad reales consentit *Hillig. in Donell. d. loc. lit. O. Rosbach. in proces. civil. d. tit. n. 8. Monach. in pract. jud. part. 5. §. 8. c. 4. n. 2. Umm. d. loc. thes. 4. n. 14.**

XVII.

Nec refert Judicium sit Possessorium, an Peti-

to

torium. Quod quidem sano accipiendum sensu vide-
tur. Sanè In Interdicto adipiscendæ, neq; petitorio
neq; possessorio me reconvenire poteris, super eâ-
dem re scilicet; aliud dicendum, si super re diversa,
ubi indistinctè reconvenire licet, secundum *Ma-
rant. d. loc. n. 48.* unico saltem casu excepto *Legis
ult. C. de Edict. Div. Hadrian. toll.* quem eximit *Me-
noch. de remed. adip. possess. 4. n. 648.* In interdicto re-
tinendæ super eadem re planè non poteris me recon-
venire petitorio; omni tamen possessorio. *Marant.
d. loc. Menoch. remed. retin. 3. n. 705.* Super re autem
diversa indistinctè est admittenda tam in petitorio quàm
in possessorio, reconventio. In interdicto recuperan-
dæ unde vi reconveniri prorsus nequeo, sive super
eadem re, sive diversa, sive in petitorio, sive in posses-
sorio. *c. ult. de restit. spoliat. c. super spoliatione. ubi Dd.
comm. de Ord. cognit. Meichsnerus tom. 3. decis. 13. n. 240.
241. Marant. dict. loc. n. 41. Berlich. part. 1. dict. conclus.*
donec spoliato omne spolium cū fructibus & expen-
sis litis restitutum sit. *c. frequens. de restit. spoliat. in 6.
c. dilectus. c. fin. de ord. cognit.* Cū spoliatus ante
omnia sit restituendus. Limitationes tamen & Ex-
ceptiones vide apud *Menochium remed. recup. 1. n.
341. Meichsner. d. tom. 3. decis. 13. & decis. 9. n. 172. 173.*
Quarum una, si Reconventio itidem super spolio, de
alia tamen re instituat; quo casu eandem etiam ad-
mittit *Molign. quest. 66.*

XIIX.

Implorato etiam Judicis officio locum fortitur
Reconventio. *l. 1. §. ult. de variis & extraord. cognit.* Ex-
traordinaria enim est persecutio imploratio officii

Judicis l. 178. §. pen. ff. de U. S. quæ etiam actionis verbo continetur. l. actiones. 34. ff. de U. S. si modo instar actionis proponatur, principaliter intentetur, & Judiciorum ordo observetur; si v. non in forma Judicii, sed in modum actus extrajudicialis & incidenter, minimè. *Marant. d. loc. n. 27. & 36. Giseb. c. 14. & c. 37. Umm. d. loc. tbes. 4. n. 55. Mindan. d. loc. c. 6. in fin.*

XIX.

Ulteriùs procedit Reconventio sive civiliter, sive criminaliter agatur. De reconventionem actionis criminalis, quæ reaccusatio dicitur, vel reconventionalis accusatio controvertitur. Et cum eadem d. l. cum Papinianus. ratio hîc militet, si vel maximè de discrimine capitis, & existimatione rei agatur, cui beneficium hoc summa nixum æquitate denegare perdurum esset, cum etiam sint textus, qui id ipsum ad oculû demonstrant, in l. 19. C. de his qui accus. non poss. l. 5. §. ult. de publ. Judic. l. deferre. 18 §. sed & eas causas. ff. de Jure Fisc. vix hesitationi locus: Quavis eodẽ ductu accusatio & reaccusatio non peragantur, sed persecutio & cognitio reaccusationis tam diu interim differatur, donec cõventionalis accusatio per sententiam sit definita. *Mind. d. loc. c. 7. n. 13.*

XX.

Procedit itaq; reaccusatio, quando accusatus criminaliter accusatorem de alio crimine iterum accusat criminaliter. l. 1. l. 19. C. qui accusar. non poss. l. 15. qui reus. §. ult. ff. de publ. Judic. l. deferre. §. sed & eas. de Jure fisci: & ita sentit Glos. in d. autb. & consequenter. *Umm. d. loc. n. 17. Giseb. c. 16. Mollign. quest. 60. sive suam, sive suorum injuriam vindicet. Andr. Gril. lib. 1. de*

de pac. publ. c. 12. Marant. d. loc. n. 50. sive ante, sive
posteaquam nomen accusari inter reos sit receptum.
Marant. d. loc. Mollign. quest. 61. Giseb. c. 16. Imò
sive Judex accusatori sit Ordinarius, sive non. Umm.
dict. loc. quin etiam sive reaccusatio sit de majori, vel
minori, vel etiam pari crimine; modò major quæstio
semper præferatur, reliquis interea suspensis.

XXI.

Locum etiam habet reaccusatio, quando de
crimine civiliter accusatus velit actorem de crimine
iterum civiliter reaccusare. *Umm. d. loc. n. 17. ferè*
in fin. Mollignat. quest. 64. Berlich. d. conclus. 22. n. 30.
Imò agens civiliter reconveniri potest criminaliter
tam ante, quam post litis contestationem. *Giseb. c.*
22. n. 3. Mollign. quest. 63. Ummius dict. loc. thes. n. 17.
An autem accusatus criminaliter possit reconveni-
re civiliter? Q. Affirmativam tenet *Gisebertus c. 16.*
Mindan. d. loc. c. 7. Negativam verò *Ummius*, quam
speciosam nominat & in puncto Juris retinendam,
d. loc. n. 68. Mollign. q. 62. Berlich. d. conclus. n. 27, 28.
d. loc. Marant.

XXII.

Secundùm hæc in causa fractæ pacis publicæ
omninò reconventio concedenda foret; verùm con-
trarium in Camera observari, testatur *Geilius lib. 1. de*
pac. publ. c. 12. Nisi forsàn actor contra libellum re-
conventionis nihil opposuerit. *Geil. d. loc. Berlich. d.*
conclus. 22. n. 24. tametsi affirmativam de Jure Civi-
li Justinianeò procedere defendat *Giseb. c. 17.*

XXIII.

Quæ hæcenus dicta in ordinario maximè ob-

B 3

tinent:

8
tinent. Summarium (de quo jam quædam) Judici-
um illud est, quod nullo interveniente libello, sine
litis contestatione, aliisq; solennitatibus omissis tra-
ctatur, & vel lex exprimit, quod causa summarim &
de plano sit cognoscenda, vel princeps mandat. *Ma-
ran. part. 4. dist. 9. n. 1. usq; ad 11.* An igitur in ejus-
modi causis summariis ubi ordinarius non attendi-
tur processus, possit institui reconventio? Affir-
mativa, quam etiam amplexus est jam olim *PANOR-
mitanus inc. 1. n. 19. § c. 2. de mut. petit.* procul du-
bio verior est, sive utriusq; causæ processus sit sum-
marius, sive alterius tantum; idq; non solum propter
generalem Papiniani rationem *in l. 14. C. de sent. &
interlocut. junct. l. 11. §. sed etsi. ff. de Jurisd.* sed etiam
propter text. *in Clem. sape. §. verum quia. de U. S. &
l. sed & hæc. 35 § non solum junct. l. omnium 38. de pro-
cur. l. 1. §. ult. de Variis & extraordin. cognit. Berlich. d.
loc. n. 31. Giseb. c. 18. § c. 12. n. ult. Trentl. vol. 1. disp. 25.
thes. 14.* Hinc est, quod etiam in causa damni infecti,
cum summaria dicatur. *l. 1. de damn. infect.* locum re-
conventioni tribuat *Giseb. c. 18. Mollign. quest. 51. &
quest. 44.* quod maximè procedere putat J. Saxonico
Berlich. dict. conclus. 22. n. 32.

XXIV.

A generali & supra *thes. 15.* posita regula plures
excipiuntur casus, an autem & quatenus procedant,
videndum. Et primò quidem in præjudicialibus a-
ctionibus non posse institui reconventionem, opinio
est, quæ multorum occupavit animos, cum earum
natura sit, quod semper prius de præjudiciali cogno-
scatur & pronunciatur. *l. 1. § 3. C. de ord. judiciorum.*

Appa-

Apparet tamen opinionem hanc ex lubrico illo pro-
filire fundamento, omnem nempe reconventio-
nem simultaneo semper processu esse alternatim ex-
pediendam; quia id ad propriam speciem tantum re-
conventionis pertinet, ut infra dicetur per rationes
à Giseberto c. 13. allegatas, & probatur vel ex ipsis legi-
bus, non ipsam reconventionem reo auferri, sed so-
lum ejus cognitionem tantisper differri, donec præ-
judicialis primò sit definita & discussa. *l. ordinata.*
24. §. 2. vers. equè. de liber. caus. sive in conventionem,
sive in reconventionem sit instituta. *Mindan. lib. 3. de*
procef. extrab. c. 7. n. 9. Adeoq; impropriam recon-
ventionem in his institui posse, rectius docet Giseber-
tus c. 22. n. 8. & seqq. ubi hujus rei vide processum.

XXV.

Secundò in deposito reconventionem eo, quòd
celerem rei depositæ restitutionem impediat. *l. pen.*
C. depositi l. ult. §. 1. in fin. ff. de Comp. denegat. Menoch.
de arbitr. Judic. quest. lib. 2. cent. 2. cas. 148. Melior
tamen & hinc videtur Giseberti sententia, qui hanc so-
lum prohiberi dicit, cujus prætextu rei commendatæ
restitutio denegatur, & per quam depositarius jure
pignoris, donec sibi satisfactum sit, retinere satagit;
alias verò actiones reconveniando moveri posse, quæ
depositi redditionem non remorantur, & sic quoq;
reconventionem fieri, statuit. *c. 13. n. 7. c. 22. n. 8. 9.*
Monach. part. 5. §. 8. c. 4. n. 5. quemadmodum etiam
in iis, in quibus periculum est in mora idem dice-
tur *thes. 30.*

XXVI.

Jam de illis, in quibus planè non admitti recon-
ven-

ventio potest. Et primò se offert Judicium *L. dif-*
famari, in quo reconventionem minimè permittit
diffamato opponere *Blarerus ad l. diffam. C. de ingen.*
& manum. Libello enim diffamati porrecto, si diffamator venit, & agere vult per viam reconventionis, certè hi duo libelli diffamatoris nempe & diffamati essent contrarii; quod admittendum non est. Diffamatoris nempe libellus contineret reconventionem ejus rei, super qua in diffamati libello saltem petebatur probatio, vel in hujus defectu perpetuum silentium. *Rosbach. proces. civil. tit. 46. n. 11. Giseb. c. 13. n. 12.* Quin & hoc addi potest, quòd diffamati libellus in vim defensionis & Exceptionis planè convertatur, adeò ut secundum Dd. diffamatus reus efficiatur, nec actor censendus sit, è contrario verò diffamator actor constituatur. *Blarer. d. loco & c. 4. n. 3.* actor autem reconvenire nequeat, *ut supra dictum. Monachus in pract. Judic. aliam profert rationem part. 5. §. 8. cap. 4. n. 16.*

XXVII.

Deinde in Executivis, cum instrumenti Guarentigiati executio petitur, vel ubi aliàs quis debitum confessus est, non admitti, quia vim habet sententiæ; post sententiam verò nullus reconventioni locus, & in confessum partes Judicis nullæ sint aliæ, quàm in præcipiendo, ut solvat, cum pro condemnato habeatur. *l. un. C. de Confessis*; testis est *Cöler. de process. Execut part. 4. c. 3. à num. 14. usq. 20. Marant. dict. dist. 6. n. 39. Umm. d. loc. t. bes. 4. n. 14.* Distinguit in confesso *Molign. quest. 41. 42. quem vide,*

XXVIII. Ter-

XXVIII.

Tertiò officium suum perdit generalis illa regula & definitio in iis causis, quæ judicialem disceptationem nõ habent, neq; deducuntur per modum actionis, nec ordo Judiciorum observatur, sed per modum actus extrajudicialis, vel libellum supplicem expediuntur. *Auth. nisi breves. C. de sent. & Interl. E. G.* Si quis coram Magistratu actorum vel testamenti publicationem peteret, reconveniri certè non potest. *Marant. d. loc. n. 37. Gifeb. c. 14. Arnold. de Reyger. disp. 3. process. judic. thes. 31.* Item petens Insinuationem donationis 500. solidos excedentis, cum intimetur saltem auribus judicum. *l. omnium testamentorum. 10. C. de testam. & sic non agatur.* Quartò etiam, si actio conventionis ab actore proposita nullius momenti vel inutilis sit, U. Gr. si reus actorem exceptione libelli inepti, vel quod in judicio stare non possit, à limine judicii repulerit. *Gifeb. c. 13. in fin.* Quintò, si judex conventionis illius causæ per reconventionem motæ Jurisdictionem non habeat, fieri reconventio nequaquam potest. *Marant. d. loc. n. 28. usq; ad 34. Gifeb. c. 26.* cum ne incidenter quidem judicare queat, ut infra *thes. 31.* maximè quòd & statuta, quòd Consules artium mechanicarum cognoscant de causis suorum opificum, intelligantur de causis ad opificium tantum spectantibus, non de aliis quæstionibus Juris, circa petitionem forsitan hereditatis, dotes, præscriptiones &c. *Geil. lib. 2. obs. 20. n. 9.* Ultimò excipiuntur à regula causæ injuriarum, furti, damni dati, non quidem per se & sua natura, sed quando videlicet ejusmodi delicta eà intentione

C

tione

tione facta sunt, ut reus ita actorem ad Judicem su-
um dolosè pertrahat. *Monac. b. in Pract. Judic. part. 5. §.*
§. 6. 4. 11. 8.

XXIX.

His ita expositis quomodo reconventio propo-
natur, dispendendum: idq; ex duobus præcipuè pa-
lâm fit; iudicibus videlicet coram quibus instituenda
venit, & ipso proponendi modo.

XXX.

Quoad prius non solum Jure Civili vel Com-
muni, verum etiam Saxonico, cum nusquam in eo
contrarium inveniatur, in primâ solum instantiâ re-
conventio procedit regulariter, adeoq; coram Judi-
ce Appellationis institui non potest, nisi forsan ex be-
neficio Principis. *Paul. Christin. vol. 5. decis. 209. n. 10.*
Cum appellans à definitiva sententia nihil petat, vel
prosequatur, quod tamen actionum proprium est.
§. 1. Inst. de action. sed tantum de iniquitate sententiæ
conqueratur, eamq; in melius reformari postulet. l. 1.
Et ibi Dd. de Appell. Neq; etiâ agat amplius actor in ap-
pellatione, sed dicatur egisse. arg. l. amplius. 16. ff. rem-
rat. haberi. dirigatq; querelam in iudicem, non in
adversarium. Aliam rationem affert Mollinat. quest.
49. Limitat Mindan. d. loc. c. 6. n. 32. Coram alio
tamen iudice pendente appellatione adversarius
conveniri potest. Mynsing. cent. 1. obs. 10. Wurms. lib.
1. tit. 12. obs. 57. Ab interlocutoria verò sententia, si
appelletur & benè appellatum pronuncietur, admit-
tendam esse reconventionem, dicit Mindan. dict. loc.
Mollign. quest. 35. Marant. d. loc. n. 25. & hoc de judi-
ciali. In extrajudiciali verò appellatione concedit
aliquo modo Gisebertus cap. 28. n. 4.

In



XXXI.

In primâ itaq; instantia tam coram ordinario, quam delegato iudice locum habet, (quod si tamē ad certam causam delegatus est, distinguit *Mindan. lib. 3. de process. extrah. c. 6. n. 20. 21.*) sive sit utriusq; competens nec ne. *Giseb. c. 24. Wurms. lib. 1. obs. 5. tit. 22. Geil. 1. obs. 35. n. 12. & ult.* etiam cum utriusq; litigantis consensu electo. *Giseb. c. 25. & c. 10. n. 6. Malign. quest. 24. 25. 26.* cum absurdum sit propter rei cōsensum in prorogationem iudicis, reconventioni locum tribuere nolle, quandoquidem hīc non tam litigantium voluntas, quam legis necessitas & publica utilitas consideretur. *Mindan. d. c. 6. n. 23.* modò reconventionis causæ notionem habeat. *Marant. dict. dist. 6. n. 18. Menoch. lib. 1. arbitr. Jud. quest. q. 44. Zang. de Except. part. 2. c. 1. n. 133. Mindan. d. c. 6. n. 35.* aliās si Jurisdictionem illius causæ non habeat, ne incidēter quidem de his cognoscere potest regulariter, & ita in foro observari, testatur *Menoch. lib. 1. arb. Jud. quest. cas. 26. & 45. Marant. d. loc. n. 28. Gisebertus c. 24. n. 14. & c. 26. n. 5.* Ex quo decidi possunt illæ quæstiones, an locum habeat reconventio in causis spiritualibus, matrimonii puta, decimarum, Juris patronatus & similibus, de quibus *Mindan. d. loc.*

XXXII

Sic coram Ordinario speciali seu particulari, qui absq; territorio Jurisdictionem habet in certis causis. *l. ijde 11. §. 1. & 2. de Jurisd. vel in certas personas, ut sunt Judices militum. l. certi Juris. 17. C. de Judic. l. 6. C. de Jurisd. omnium Jud. & for comp. tot. tit. C. de Offic. milit. Judic. Mercatorum. l. ult. C. de Jurisd. omnium*

C 2

Jud.

Jud. "vel alicujus" artis "Consules", vulgò die
Zunffmeister. *Marant. part. 4. dist. 6. n. 28. Mollign.
quest. 29. Gisebertus c. 26. n. 45. Umm. d. loc. n. 12.* fieri
potest reconventio, dummodo tamen causæ per re-
conventionem motæ ipsorum spectent opificium, &
ut pulchrè tradit *Geil. loc. supr. tb. 28. citato. Mind.
d. loc. c. 6. n. 30.*

XXXIII.

Coram ordinario verò Generali, cui concessa
est Jurisdictio cum vel sine territorio, à lege tamen
vel magistratu superiori, sine dubio intentari potest.
*Giseb. c. 24. n. 6. & seq. Mynsing. cent. 4. obs. 90. & sic
coram judice feudali ut sunt Pares Curie vel Dominus
feudi quoad feudalem rem non dubitatur. In cau-
sa verò allodiali, quia curiæ paribus nulla competit
Jurisdictio, extra causas feudales, non posse, tradit
Geil. lib. 1. obs. 1. n. 1. & ss. 57. c. praterea. 1. de prohib.
feud. alienatione per Frid. Myns. cent. 4. obs. 90. Schenck
Baro. ad c. unic. de controu. feudi apud Par. Cur. termin.
n. 12. Wes. de feud. c. 17. Berlich. d. conclus. 22. n. 47. Paul.
Christin. vol. 5. decis. 209. n. 67. & vol. 6. decis. 80. n. 41.
& 42.* Ita coram Juris arbitris, cum à lege, consue-
tudine vel statuto ordinariam habeant Jurisdictio-
nem. c. si Clericus 11. quest. 2. c. pastor. de rescript. l. cum
specialis. 18. C. de Judiciis. l. 5. pr. C. de recept. arbitris.
vel si ex dispositione statuti compellantur consanguini
nei ad compromittendum in arbitros, etiam recon-
ventio fieri potest. *Marant. d. l. n. 20. Giseb. c. 27. Mol-
lign. c. 23. Berlich. dict. conclus. 22. n. 45.*

XXXIV.

Diversum de compromissariis arbitris statuit
c. di-

*c. dilectus. X. de arbitris. assumtis rationibus ex l. 21.
§. plenum. 6. l. 46. l. 50. l. 32. §. 15. & §. ult. de recept. qui
arbitr. recep. Sunt nempe non veri iudices. l. 3. C. de
Jurisd. omnium Iud. utcumq; etiam arbitria ad instar
judiciorum sint redacta. Myns. cent. 4. obs. 90. in fin.
iisq; parendum non vi Jurisdictionis (quam hi arbi-
tri nullam habent; neq; enim privatorum consensus
hanc tribuere potest. d. leg. 3.) sed metu compromissa
pœnalis. Berlich. d. conclus. 22. n. 43. Gifsb. 6. 27.*

XXXV.

Quoad posterius & in proponendi modo in Pro-
pria aliud, aliud in Impropria reconventionem dicen-
dum est. Propria reconventio ante litem contesta-
tam in causa conventionis, vel statim post ante pro-
gressum ad ulteriora instituitur, & in unâ eademq;
instantia tractanda & alternatim simultaneo proces-
sui expedienda; Unde iudex reo, qui reconventio-
ne uti se velle dixerit, brevissimum terminum statue-
re potest, intra quem reconventionis libellum infe-
rat, ne causa principalis calumniosè protrahatur.
*Menoch. lib. 2. de arbitr. Jnd. quest. cas. 34. & 184.
Myns. cent. 1. obs. 10. Impropria verò semper & que-
cumq; tempore tam ante, quam post litem contesta-
tam, ante conclusionem tamen causæ conventionalis
actori moveri potest. Rosbach. process. civil. tit. 46. n.
17. Mindan. d. loc. c. 7. n. 12. 13. Imò ex beneficio
principis etiam post conclusionem in causa conven-
tionis admittit Paul. Christinaus vol. 5. decis. 209. n. 10.
Privilegio tamen simultanei processus non gaudet.
Rosbach. d. loc. sed saltem facit, quoad effectum judi-
cis prorogativum, ut postea etiam causa reconventi-*

onis coram conventionis iudice tractari possit, ut loquitur *Molign. quest. 43. q. 47.* Quæ etiam olim ferè fuit *Br. opinio*, teste *Giseberto c. 19. § 20.* & novissimè approbata est à Camera Imperiali *part. 3. tit. 30. Schvvanmannus lib. 1. process. Camer. c. 69. n. 4.* Hæc enim est specifica differentia, quâ à simplici conventionione distinguitur, quòd à reo jam convento adversus actorem, eodem durante iudicio proponatur, & hic præcipuus & singularis ejus effectus, ut actorem alienæ Jurisdictioni subjiciat. *Gif. c. 12. in fin. c. 20. n. 2. § c. 29. n. 6. § 7.* Non verò, quòd semper simultaneo processu vicissim tractetur, unâq; sententia definiatur, quod sentit etiam *Bachov. in Treutl. part. 1. disp. 15. thes. 13. lit. C.*

XXXVI.

In propria reconventionis processu pertractantur omnes Criminales reaccusationes, non tantùm si utraq; causa criminalis sit. *Giseb. c. 16. n. 14.* sed etiam si agens civiliter reconveniat criminaliter. *Giseb. c. 22. n. 3.* ut videlicet libello reaccusationis porrecto, ejus prosecutio & cognitio tamdiu interim differatur, donec conventionalis accusatio sit definita. Semper enim criminalis præfertur civili, inter plures verò criminales gravior præponitur, & de ea priùs pronuntiatur, per *l. 5. 4. de Judic.* quod latè etiam rationibus ostendit *Giseb. c. 16. § c. 22.* Præjudiciales item actiones improprie reconventionis processu expediendæ sunt, sive cum criminalibus sive cum civilibus concurrant causis. Semper enim priùs de præjudiciali & cognoscendum & pronuntiandum. *arg. l. 1. § 3. C. de Ord. Jud. Giseb. c. 14. in fin. § 22.* Sic etiam

iam

iam in actione depositi, cum restitutio statim faciēda sit. *l. pen. C. depositi.* & in omnibus causis, quæ celeritatem desiderant, & in quibus periculum in mora ob quam alias à communis Juris regulis disceditur, impropria reconventionē proceditur. *Giseb. c. 22. n. 7. 8. 9. & 19. ubi duas addit Cautelas.* Deniq; etiam impropria reconventionis processu pertractatur, quando cunq; prius liqueat de una causa, quàm de altera, vel reconveniens nō pergat in reconventionē; tunc enim iudex potest pronunciare solūm de quā liquet, & supersedere in aliā. *Cardin. Tuschus pract. conclus. 60. tom. 6 n. 16. Paul. Christinaus. vol 5. decis. 209 n. 3. 4. Mynsing. obs. 10. cent. 1. Rosbach. d. loc. n. 18. Monach. in pract. Judic. part 5. §. 8. cap. 5.*

XXXVII.

Processu verō propria reconventionis expediendæ sunt præterea omnes causæ civiles, tam cognatæ, quàm diversæ ac separatæ, si modò de utraq; causa pariter liqueat. Multum tamen *Gisebertus* arbitrio iudicis relinquit, per rationes *in c. 21.* qui ex omnibus circumstantiis statuet, an hæ vel illæ disparatæ causæ uno processu peragi debeant, nec ne, & *Monach. in pract. Judic. d. loc.* Exempla etiam ostendit *Gisebertus d. loc.*

XXXVIII.

Jure verō Saxonico novo quid obtineat, supra *thes. 4.* dictum, & ex Constitutione Electoris Augusti, ut & nova Ordinatione judiciaria moderni Electoris Johannis Georgii manifestum sit, videlicet locum tantūm invenire in connexis causis, quod etiam ferè approbant *Illust. Ducum Sax. Vinarium & Co-*
bur-

burgensium constitutiones tit. von der Widerklage. Et quidem postquam conventio prius fuerit discussa ac finita. Landrecht lib. 3. art. 12. Quando autem finita & discussa dicatur, ut reconventionis causa tractari possit, an etiam requiratur, ut mandata sit executioni sententia, ut volunt Dan. Möller, ad dict. Constit. Modest. Pistor. part. 3. quest. 144. n. 3. & seqq. Matth. Cöler, part. 2. decis. 275. n. 7. & seq. an verò statim post sententiã definitivam latam, etiam si nulla executio facta sit, causa finita & discussa dici possit? quæritur Prior Mölleri, Pistoris & Cöleri opinio hodie obtinuit, & à Sereniss. Elect. Saxoniz approbata & confirmata in Process. vñ Gerichts Ordnung. tit. 6. von der Widerklag. sub fin. pr. ibi. Es habe sich dann der Beklagte von ihm entbrochen / vñ sey die Conventio Klage durch wirkliche völlige Zahlung erledigt.

XXXIX

Quin etiam Jure Communi ex pluribus actionibus fieri potest reconventio, ita ut reus una actione conventus, pluribus in eodem iudicio actorem reconveniat. l. omnium 87. §. 1. de Procur. l. qui non cog. ibi; excipere actiones. de Judic. Cùm actor, qui fit reus in reconventionem, nō prohibeatur pluribus uti actionibus, quæ sibi invicem non sunt cōtrariæ, per l. si idem 17. pr. de Jurisd. l. 37. l. 53. de O. & act. Giseb. c. 13. n. 4. Mollign. q. 75. Mindan. d. loc. c. 7. n. 19. Saxonico Jure cùm in causis connexis & invicem dependentibus, conventionem nondum finita, nulla admittatur reconventio, ut supra dictum, deinceps pluribus quidẽ actionibus actorem reus convenire poterit, ita tamen, ut in libello non ultra tres actiones ex diversis causis ortæ proponantur.

ponantur. *Neue Gerichtsordnung tit. 5. Von der Klage.* § wir lassen auch geschehen / Cur ergò non idem etiam in reconventionem statuendum?

XL.

Reconventionem sic institutà, communis hic est tam propriis, quàm impropriis reconventionibus effectus, ut per eam actorem ita Jurisdictioni sui judicis subjiciat reus, ut ne ulla quidem exceptione vel personæ, vel privilegii declinatoriâ, eundem velut incompetentiã recusare, etq; forum declinare possit. *d. l. cum Papin. d. l. 2. §. etsi. d. l. qui non cogitur. Mindan. lib. 3. de process. extrab. d. loc. Giseb. c. 29. § c. 22. num. ult. in fin. § c. 31. in pr.* Adeò ut si ad reconventionem respondere detrectet actor, ei quoq; in sua causa audientia denegetur. *Arnold. Reyger. in process. disp. 3. thes. 26.* Jurisdictionem enim perpetuat reconventio. *l. 7. de Judic. c. gratum. § c. licet. de offic. deleg.* Ne sit in calumniosâ potestate adversarii, ut possit mecum agere, non ego cum illo coram eodem Judice. *l. 11. §. 1. de Jurisd.* neq; etiam litigantes diversis conflictentur judiciis, atq; immortales ita invicem lites exerceant, *con- tral. Properandum. C. de Ind.* Quò etiam spectat Jure Saxonico satisfactio illa pro reconventionem & expensis, *der Vorstand* / quam actor in principio litis prestare cogitur, & si nolit forsan, reus quoq; ad causam conventionis respondere non compellitur. *Termin. in Pract. Judic. c. 30. de satisf. § Guarand. Wesenb. in Parat. ff. qui satisfacere cogantur. Constit. Elect. Augusti 7. part. 1. N. Gerichts Ord. tit. vom Vorstandt / Giseb. c. 22. n. 16.* & hæc satisfactio etiam in summario processu exigitur. *Berlich. part. 1. conclus. 20. n. 18.*

D

XLI. Sic



XLI.

Sic reus, utut maximè velit, pendente lite conventionis, actorem in alio iudicio neutiquam convenire potest, sed ipse vel apud eundem iudicem mox eum reconvenire, vel litis sibi illatae terminum expectare cogitur. *Nov. 96. §. illud. vers. sancimus. Mindanus lib. 3. c. 7. n. 2. Monach. in pract. Iudic. part. 5. §. 8. c. 6. n. 4.* adeò, ut actori litis pendentiae detur exceptio. *Gifeb. c. 31. n. 5.* Si verò actor nihil opponat, processum valere idem *Gifeb. statuit d. loc. n. 10. c. 2. n. 4.*

XLII.

Propriae verò reconventioni singularis hic est atq; præcipuus effectus, quòd eodem processu terminetur cum conventione. Sed & illud quoq; ad effectum reconventionis pertinet, quòd actor eum, iudicem, quem agendo & conveniendo elegit, tanquã suspectum, si à reo reconveniatur, recusare regulariter non possit. *Gifeb. c. ult. Mologn. quest. 36.* quod secus est, si reus cõventus & reconveniens iudicem cõventionis habeat suspectum. *Gifeb. d. loc.* Tandem & hoc secum affert reconventio, ut actor reconventus, si postea poenitere velit & desistere ab actione litiq; à se mota renunciare, iudicium reconventionis à reo institutum non evitet. *Marant. d. part. 4. dist. 6. n. 45. Gif. c. 30. Ummius d. disp. 2. n. 9.* quia Rei ius solius actoris facto auferri non potest. *arg. l. 10. in fin. de bonorum poss. contra tabb.* Modo actor jam reconventus sit, secus si res adhuc sit integra, prout limitat *Gifeb. c. ult.* & aliter *Mindanus d. loc. c. 6. n. 11.* Contrarium docet procedere de Jure Saxonico *Berlich. diet. 22. conclus. n. 65.*

XLIII.

XLIII. Re-

XLIII. & ultima.

Reconventioni admodum affines sunt actiones mutuae, quae ex una obligatione proficiscuntur, & actiones continentes, quae unius ejusdemque rei nomine competunt, vel respectu dominii, vel possessionis, vel servitutis. Utrasque species tam mutuas, quam continentes coram uno eodemque iudice instituendas esse, docet *l. si item. 11. §. sed et si mutua. 1. de Jurisd. l. 1. §. 2. & ibid. Gotbofr. in notis, de quibus reb. ad eund. Iud. eatur.* Non solum si per modum reconventionis, sed etiam si per nudam conventionem in iudicium sint deductae. *l. commod. 17. §. 1. commod. tr. de quib. reb. ad eundem Iud. eatur, ne dividatur contentia causae. l. 10. C. de Iudic. neve variè à diversis iudicibus in una pronuncietur causa. l. cognitio 8. §. 1. de liberal. causa. l. 27. famil. hercis. Giseb. c. 5. n. 14. & cap. 20. n. 5. & c. 24. n. 23. & c. 31. n. 5.*

Atque haec de Reconventionibus dicta sufficiant, & pleniorum & exactiorum hujus materiae tractationem qui desiderat is adeat Dd.

SOLI DEO GLORIA.


ULB Halle 3
003 862 070




Sb.

VDM







Præf. 13. num. 14.
1637, 2
M

DISPUTATIO JURIDICA
DE
RECONVEN-
TIONE.

Præf. 13.

Quam
Auxiliante supremo Numine
Decreto & autoritate Magnifici & Am-
plissimi JCoorum Ordinis in hac Legum nutrice
Salena

SUB PRÆSIDIO ET DIRECTORIO
Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi
Excellentissimi

Dn. ZACHARIAE Prüeschencf/
JCTi, Antecessoris & Professoris hujus
Academiæ Publici, Consilarii Saxonici, Curiae
Provincialis & Scabinatus Assessoris gravissi-
mi; Præceptoris ac Promotoris sui
devenerandi

Pro Licentia in utroq; Jure, consequendisq;
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS,
Placide disquisitioni submittit

RUDOLPHUS SCHRÖTERUS,
Meiningâ Henneberg.
Ad diem 18 Octobr.

JENÆ,
Typis descripsit **BLASIUS LOBENSTEIN.**
CID 13C XX XVII.

